



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XVIII. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Lucas Evangelista, Medicus, pictor, & Evangelista Marianus, præterquam quòd multa de B. V. scripserit, multas ejusdem imagines artifice penicillo expressit, quæ miraculis illustres multa in Mariophilorum cordibus excitant in Dominam suam incendia. *Vita.* Cor tabula fit, in qua nihil reluceat præter Mariam.

S Luca ora pro me Deiparam, ut illa pro me dulcissimo filio suo pectus & beatissima ubera, quibus eum lactavit, exhibeat, ejusque precibus dignus reddar per gratiam finalem particeps fieri passionis Filii sui Domini mei Jesu Christi. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibiliũ & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile erit, placere & servire desidero. &c. fol. 190.

Ad quod impetrandum: in re aliqua mihi maximè contraria me vincam honori Mariano.

Gloriosum omninò gloriæ Marianæ Privilegium est, quòd post Deum major nostra, gloria, majus nostrum gaudium, ac felicitas Maria est. *S. Bonav in spec. c. 6.*

Quæstio: An per libros an per imagines magis Deiparæ cultus propagetur?